



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

Caput 1. De natura, utilitate, & exercitatione memoriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)

LIBER IV.

De quarta parte Eloquentiæ,
seu de Memoria.

CAPUT I.

De natura, utilitate, & exercitatione Memoriae.

Memoria
quid.

I.  *Uid est Memoria ? Resp.*
Jam initio dixi, quod sit singularum orationis partium firma & ordinata recordatio.

Itaque non sufficit Oratori tantum confusè scire, quid domi cogitârit aut scripserit, sed necesse est, ut singulas partes eo ordine, quo scripsit, sine metu perturbationis in memoria teneat, & ex eadem simili ordine possit reddere ac proferre.

II. *Quotplex est Memoria ? Resp.* Duplex. *Artificialis*, qua partes singulæ certis quibusdam imaginibus & locis, certo intervallo ac ordine per artem affiguntur. Et *Naturalis*, quæ est una ex potentiis, ut vocant, animæ, vis scilicet recordandi.

III. *Quid sentiendum de Memoria artificiali ? Resp.* Illud artificium & operosum est, & multis inutile, non paucis etiam noxiūm.

Quotplex.

Artificialis.

IV.

IV. Quid prodest Memoria naturalis? Resp. Naturalis.
Plurimum, si prompta, facilis, & expedita
sit. Cum enim orationes non legantur co-
ram auditoribus, sed ex memoria dicantur,
hujus usus & necessitas ingens est. Dein-
de meliora sunt, quae diligenter excogitata,
scripto, & ex hoc memoriæ mandata pro-
nuntiantur, quam quæ ex tempore sine ac-
curata præparatione prævia efferuntur: præ-
terquam enim, quod ea quorundam præfi-
cientia & vanissima jactantia, in sacris præ-
sertim orationibus, de auxilio divino sibi
nihil possit promittere, à quo tamen Orator
& fructus ex auditoribus exspectatus pen-
det, destituitur ille modus sine præparatio-
ne dicendi usu prudentiorum. Neque alle-
getur longa experientia & in dicendo exer-
citatio, quæ videtur his extemporaneis o-
ratoribus patrocinari: nam etiam exercita-
tissimi sua scribunt, & quæ scripserunt me-
moriæ mandant. Imò quod quis magis in
dicendo est versatus, eo diligentius se pa-
rabit, cum usus ipse doceat, cultiora suum
ornatum debere tempori, & licere in illo
discendi otio quædam addere, demere, mu-
tare, quæ in attenta & iterata repetitione
minùs aptè congruere deprehenduntur. Vi-
cissim qui ex tempore dicunt, plerumque
parùm judicata, non satis digesta, malè or-
dinata in medium afferunt. Accedit, quod
memoriæ tradita ob ipsum spatium, quo ei
ime

imprimuntur, melius expolita, venustius etiam enuntientur. Iisdem longè citius atq; distinctius occurunt multæ rerum & verborum species, quibus oratio copiosior, auditoribus gratior, & ad flectendos animos potentior efficitur.

**Ex scripto
discendum.**

**An de verbo
ad verbum?**

v. Utrum duorum præstat, orationem ex scripto, an ex sola meditatione memorie imprimere? Resp. Utique firmius, ordinatus, & certius hærent, quæ ex scripto discuntur. Apud illos nominatim, quos species locales adjuvant, minus periculum est, ne inter dicendum perturbentur, cum phantasia interim chartæ inhæreat, dum lingua loquitur, sciántque tales, quid statim sequatur, quantum supersit, ut quo-cunque casu possint aliqua contrahere vel omittere, si necesse sit. Sed de hoc capite sequente.

vi. Estne consultius scripta de verbo ad verbum, an de sensu ad sensum memorie tradere? Resp. Prius illud longè operiosius, nec cujusque, & fortè periculosius est, ne scilicet Orator, qui non est instruētus fidelissimâ & firmissimâ memoriâ, hæreat, si singulis verbis ita sit adstrictus, ut uno vel paucis ipsum fugientibus, nesciat, quid sequatur. Quisque suum captum & usum consulat. Ea tamen, quæ ex SS. Litteris aut aliis Auctoribus citantur, hauddubie de verbo ad verbum discenda sunt. Quibus natu-

ra-

ralis aliqua facundia verborum affatim suppeditat, aut longus dicendi usus opitulatur, rem habebunt expeditiorem, si de sensu ad sensum sua discant. Advertitur in iis, qui verbis strictè nimis alligantur, nescio quæ, occulta solicitude, trepidatio, & languor aliquis in actione, præsertim vero in oculis: à quo incommodo posteriores illi sunt libiores.

CAPUT II.

De adjumentis & impedimentis Memoriae.

I. **Q**uomodo Memoriae vis potest augeri, & velut acui? Resp. Quibus à natura impeditior memoria obtigit, nullo faciliter medio illam juvabunt, quam quotidiana ejusdem exercitatione, saltem breve aliquid addiscendo. Quo in conatu necessario consultum videtur, sibi quædam ex SS. Litteris discenda sumere, quæ in concessionibus crebrius possunt occurrere. Sicut enim memoria etiam felix defectu exercitii sensim hebescit, ac velut rubiginem induit, ita quædurius est, ipso usu expolitur & robatur. Sunt, qui pro ea corrigenda quasdam medicinas præscribunt; sed nescio, an hæ sine exercitatione multum conducant.

Memoriam
juvant.